

254. *O. obryzatoides* Kränzlin. n. sp. — Caespites parvi. Folia infrabulbosa satis longe vaginantia 3 ad 4, falcata, reflexa, oblonga, obtusa, basi breviter complicata, apice obliqua, 3 ad 7 cm longa, 1,5 ad 2,2 cm lata. Pseudobulbi oblongi, compressi, ancipites, monophylli, ad 3,5 cm longi, ad 2 cm lati. Folia pseudobulborum infrabulbosis omnino aequalia et aequimagna. Inflorescentia paniculata, subcorymbosa, ramis fere aequilongis divaricatis, denique fractiflexis, paucifloris, bractae parvae, triangulae, acutae, pedicelli cum ovariis tenuibus 2 cm longi. Sepala libera e basi angusta cuneatim dilatata, antice retuso-rotundata. Petala aequalia, antice paulo latiora, omnia 1,2 cm longa, sepala antice 3 mm, petala 4 mm lata. Labellum arcte deflexum, lobi laterales lineares, apice retusi, reflexi, antice in isthmum transeuntes, isthmus linearis, satis longus in lobum intermedium cuneatim dilatatus, lobus intermedius flabellatus, in lobulos 2 dolabriformes, antice retusos divisus, sinus inter lobulos satis profundus, acutangulus, crista labelli valde convexa, in dentes paucos parum prosilientes soluta, totum labellum 1,5 cm longum, basi velutinum, inter lobos laterales (his expansis) 1 cm, antice 1,3 cm latum. Gynostemium erectum, 5 mm longum, alae 2,5 mm longae, angustae, basi et apice acutae, margine leviter crenulatae, fovea stigmatica satis longa, tabula infrastigmatica prosiliens, buccis carnosulis cincta. Flores intense lutei, in centro cinnamomei.

Subäquatoriale andine Provinz. Costa Rica (Endres!).

Nota. Species floribus solis ab *O. obryzato* Lindl. difficile distinguenda, accuratius examinantem crista labelli diversa certe non effugiet praeter hunc characterem habitu omnino diversa, inflorescentia enim corymbum leviter squarrosam nec paniculam elongatam exhibet.